In Nomine Domini JESU CHRISTI.

Invidia concipit odium, & odium parit peccatum, quod Ego in his circumstantiis vobis exhibere, & demonstrare decrevi. Nam à principio nascentis Mundi diu pax non perseveravit; sed mox ut duo homines ex primis Parentibus nostris scilicet Adam & Evâ nati sunt; mox inter fratres contentio ex invidiâ ortum sumpsit. Dum enim Cain & Abel Domino Deo immolarent sacrificium, sicut Genesis Cap. 4. *legitur: Dominus respexit ad Abel & Munera ejus, ad Cain autem & Munera ejus non respexit. Cain verò desuper summopere iratus occidit fratrem suum, quare & à Domino Deo punitus profugus factus super terram, & sub suspicione feræ à descendentibus suis occisus est.*

Genesis Cap. 6. *mandavit Dominus arcam fabricari à Noë, ut salvaretur semen super terram. Dedit gratiam Serenissimo Electori Brandenburgensi, ut eosdem innocentes captivos gratuitò relaxaret.*

Genes. Cap. 9. *Cham filius Noë illusit patri suo. Ceporinus non tantùm illudere civibus Gochensibus voluit, sed eosdem per conceptam & fictam calumniam ad internecionem perdere.*

Gen. Cap. 11. *fuit facta confusio linguarum in ædificatione turris Babel. Post Textoris captivitatem Clivos versùs facta fuit vera confessio falsorum mendaciorum.*

Gen. Cap. 14. *Loth cum aliis à quatuor Regibus captivus abductus fuit è Sodomis ; Abraham cum suis vernaculis liberavit eum, Cives Gochenses captivi ducti fuerunt, innocentia eosdem absolvit.*

Gen. Cap. 39. & seq. *legitur de Joseph filio Israël Patriarchâ patre populi à Deo electi, quòd à fratribus suis venditus fuerit in Ægyptum. Cives Gochenses & captivi à Concivibus & Ceporino Calvinistâ venditi fuerunt Gubernatori Lamberto Charles in castellum.*

Joseph quamvis à Dominâ suâ pro violando thoro conjugali sollicitatus, castus permansit. Cives Gochenses quamvis pro abjurandâ Fide Orthodoxâ sollicitati, stabiles permanserunt.

Joseph propter falsum Putipharis uxoris testimonium raptus fuit in carcerem. Cives Gochenses tracti fuerunt propter falsum Ceporini, & substituti Textoris mendacium in intolerabilem bonorum suorum perniciem, ita, ut si Dominus Deus hanc causam mirabili planè modo non revelasset, multi innocentes perire debuissent.

Joseph in carcere constitutus torturam non sensit ; Petrus Exken talem torturam sustinuit, ut etiam falsa confiteri coactus fuerit.

Joseph ereptus fuit è carcere propter Pharaonis Pincernæ recordationem. Cives Gochenses liberati fuerunt propter veram scelesti Textoris confessionem, qui vera dicere maluit, quàm iniquis Ceporini conceptibus favere.

Joseph adeptâ libertate condonavit injuriam sibi illatam fratribus suis : Civibus Catholicis in hodiernum usque diem vix ignoscitur.

Joseph recommendavit ossa sua deferri cum filiis Israel in terram promissionis. Cives Catholici Gochenses noluerunt inferri ossa defuncta filiæ Ceporini in Ecclesiasticam hujus Ecclesiæ sepulturam.

Exodi Cap. 1. & seqq. *legitur oppressio à Rege Ægypti facta filiis Israel propter duram servitutem quam patiebantur; Pharao voluit populum Dei perdere ; quid fecit Dominus ? misit Moysen servum suum fidelem ad liberandum & ducendum populum : misit Dominus uxores captivorum Gochensium Civium Clivos , ut eos in pristinam libertatem collocarent. Moyses , & filii Israel spoliaverunt Ægyptios bonis suis ex mandato Dei : Ceporinus, & sequaces ejus voluerunt abripere bona Catholicorum Civium contra charitatem proximi , & legem Decalogi.*

Libro Josue Cap. 1. *legitur , quomodo Dominus Deus confortaverit Josue ductorem Exercitûs filiorum Israel : idem Dominus consolatus est Dominum Consulem Goswinum Exken , & Concives Catholicos ne permitterent , ut in hâc Catholicâ Ecclesiâ ritus Calvinistarum inciperet florere , qui vitam perdere , & captivitatem sustinere maluerunt , quàm boni Consulis , & Civium officium negligere.*

Libro 1. Regum Cap. 24. *legitur , quo odio Rex Saul persecutus fuit æmulum suum David , qui latitans in spelunca Engaddi , cùm haberet occasionem Saulem occidendi , maluit parcere quàm manus suas mittere in Unctum Domini : hunc textum Ceporinus, & consortes malè intellexerunt ; quia iisdem non sufficiebat solos seculares accusare, nisi etiam uncti Domini*

Sacerdotes adjungerentur; quia fortè cogitabant, deficiente Capite pereunt & membra, & dum principales Catholicæ Fidei Instructores sustulerimus, reliqui facilè sequentur.

Regum Libro 2. Cap. 15. & seqq. *habetur Historia, quòmodo Absalon insidiatus fuerit Patri suo David Regi Israel, ut eidem coronam & sceptrum eriperet: Ceporinus nisus fuit, ut Catholicum Pastoratum Civibus invitis extorqueret: verùm Absalon à Joab Duce exercitûs Regis David justas perfidiæ pœnas dedit tribus lanceis confossus: scelesti illi proditores impuniti evaserunt.*

Libro 3. Regum *Elias magnam persecutionem sustinuit à Jezabel uxore Achab Regis Israel, Dominus Deus pavit & sustinuit: Cives Gochenses ingentem calumniam passi sunt à Ceporino, & sequacibus; Dominus liberavit eos.*

Regum 3. Cap. 21. *legimus de possessione Nabath, cui erat vinea à Rege Israel summoperè affectata; quam dum Nabath cedere nollet, suadente Jezabel quasi Regi infidelis lapidatus est, suppositis falsis testibus: Ceporinus suppositis falsis literis quæsivit per fraudem sibi acquirere villas, & agros innocentium Catholicorum.*

Tobiæ Cap. 1. & seqq. *invenimus Historiam ejusdem in captivitate constituti, quòd à Lege Dei & Patrum suorum non recesserit, propterea ab Angelo à cæcitate sanatus, idémque Angelus filio ejusdem comes in itinere fuit, & matrimonium cum Sarâ filiâ Raguelis conciliavit, & dæmonium septem maritorum interfectorum compescuit: Utinam Catholici Cives Gochenses calumniam à Ceporino illatam, & invidiam adhuc spirantem tandem abolere possent.*

Judith

Judith *per jejunium abstulit caput ebrii Holofernis Ducis exercitûs Assyriorum : Matronæ honestæ liberârunt per jejunia, preces, & lachrymas ad Deum fusas maritos suos à furore sævientium Hæreticorum.*

Esther *Mardochæi consilio liberavit populum suum apud Regem Assuerum ab immani lanienâ, ita ut proditor Amman suspensus fuerit in patibulum Mardochæo præparatum : Matronæ Gochenses eripuerunt maritos suos de captivitate, & si juxta sententiam Serenissimi Principis executio ad suum finem redacta fuisset, forsitan proditores isti graviorem pœnam sustinuissent.*

Job *amissis omnibus liberis, & totâ substantiâ suâ dixit, si bona de manu Dei suscepimus, mala cur non sustineamus, Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum. Cives captivi Gochenses libertatem suam amiserunt, & tamen Domino Deo benedixerunt.*

Job *post tentationem ad pristinum & glorioſiorem statum pervenit. Cives Gochenses post tribulationem perpessam majores evaserunt.*

Danielis Prophetæ Cap. 3. *missi fuerunt jussu Regis Nabuchodonosoris Ananias, Azarias, & Misael in fornacem ardentem à Chaldæis, sed Angelus Domini excussit flammam ignis, & circumstantes devoravit, qui incolumes è fornace evaserunt : Cives Gochenses liberati sunt propter preces ad Deum directas.*

Daniel Cap. 6. *missus fuit ratione invidorum accusatorum in lacum leonis, sed illæsus permansit & extractus : Cives Gochenses è carcere erepti fuerunt.*

Daniel Cap. 13. *castissima & innocens Susanna à pravis senibus duobus judicibus ob non permissam carnalẽ commixtionem accusata fuit adulterii ; dixit Susanna,*

angustiæ sunt mihi undique ; si enim hoc egero, mors mihi est ; si autem non egero, non effugiam manus vestras ; sed melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini. ℣. 23. *Quid fecit Dominus, an Innocentiam succumbere permisit ? minimè, misit Danielem, qui seorsim interrogatis falsis testibus eosdem capulares Senes perjurii convicit, ita ut sententia in caput probæ Susannæ practicata in scelestos redundaret : Dominus Deus ut vidit ad extremam calamitatem Cives Gochenses deductos fuisse, emollit cor scelesti Textoris, ut veritatem fateretur, & propriâ confessione putatitios reos absolveret.*

Quales persecutiones in veteri Testamento non sustinuerunt Jeremias, Isaias, Jojadas, Zacharias, & Prophetæ vera docentes, & populo peccatrici, & idololatris pravitatem suam exprobrantes ? Quid non passi fuerunt primitivæ Ecclesiæ Apostoli, & milleni Martyres ? Quot innoxii mortem non subierunt sub Henrico VIII. & Elisabethâ Angliæ Rege & Reginâ Sacerdotes, Monachi, & Sæculares, inter alios ingens ille Cancellarius Thomas Morus, Joannes Fischerus Episcopus Roffensis. Ut de reliquis taceam, quia satis notum, mirum ergo vobis Lectoribus esse non debet, si simili de causâ Cives Gochenses hæc passi fuerint, quæ vobis ob oculos ponere decrevi ; interim tamen petens, ut pro animabus Defunctorum Historiolam hanc perlecturi Dominum Deum rogetis, ut perpetuâ pace frui mereantur. Amen.

Benevoli Lectores, Historiolam hanc scripturus aggredior ; verùm nolite putare, me hanc scribere ex passione, vel malevolo animo, sed puræ veritatis gratiâ, ut videatis, quatenus malitia possit aliquando innocentiam aliquo modo opprimere, sed non penitus suffocare.

CA-